

hac definitione Syllogismi. Patet hoc ex illa particula: Positis; hoc est supponentibus aliquid positivè. Et hoc expresse inde colligunt Alexander, Doctores Lovanienses, & alii. Quod ipsum & pluribus rationibus confirmat, quas inter non postrema est, quòd Syllogismi ducentes ad impossibile & alii omnes ex suppositione constantes perficiantur Syllogismis ostensivis; ut inquit Antonius Scaenus Annot. ad I. Prior. Analyt. p. 365. Ratiocinationes, quæ ex hypothese & conventionem rem probant, continent in se ratiocinationes directas, quas necesse est, ut in aliqua trium figurarum construantur; verba sunt Monlorii Paraphras. in I. Prior. XXIII. p. 175.

VII. Qui autem Syllogismus *δεικτικὸς* concludit, ostendit quippiam alicui inesse, vel non inesse, h. e. vel affirmans est, vel negans; atq; iterum vel universaliter, vel particulariter aliquid inesse vel non inesse ostendit. Imò & Syllogismus *δεικτικὸς* nonnunquam aliquid concludit purè & sine modo, nonnunquam verò concludit aliquid cum modo ac determinatione. Id quod iterum indicat Aristoteles I. Prior. XXIII. §. 2. inquiens: *Necesse est omnem Syllogismum ostendere, vel quidpiam inesse, vel non inesse, idq; aut universaliter, aut in parte.*

II X. Syllogismum *δεικτικὸν* quod attinet, sciendum, eum non statim esse *ἀποδεικτικὸν*. Aliud namque est *δεικνύειν*, ostendere, aliud, *ἀποδεικνύειν*, demonstrare. Et Syllogismus *δεικτικὸς* ratione formæ tantum spectatur, Syllogismus verò *ἀποδεικτικὸς* præter formam etiam certæ materiæ, quæ necessaria est, rationem habet; unde & non solum Analytica, verum etiam Dialectica Syllogismos *δεικτικὸς* expedit, ac verò Syllogismi *ἀποδεικτικοὶ* solius Analytices ope exstruuntur & adornantur. Neque etiam Syllogismus *δεικτικὸς* per omnia cum Syllogismo categorico coincidit. Etenim Syllogismus *κατηγορικὸς* Aristoteli lib. I. Prior. V. §. 29. is est, qui affirmantem habet conclusionem propter similes præmissas; eidemque opponitur non Syllogismus *ἐξ ὑποθέσεως*, sed potius *επιρητικὸς* sive negans negantem conclusionem propter alteram  
ram